

377
EXERCITATIO MORALIS

DE

22. M.
24
JURAMENTIS,

quæ falsò habentur non
obligantia,

INDULTU TER MAXIMI NUMINIS,

CONSENSU

Inclytæ Facultatis Philosophicæ

in Alma Lipsiensi

d. XXVI. Februar. M DCCI.

placidæ Eruditorum disquisitioni

tradit

M. ANDREAS Ritter / Lubecenf.

S.S. Theol. Studiosus,

RESPONDENTE

JOANNE TOBIA Hayner /

Cross' Güz. Phil. Stud.

LIPSIÆ,

Literis IMMANUELIS TITII.



V I R I S
Nobilissimis, Amplissimis, Consultissi-
mis, Excellentissimis, Plurimum Reveren-
dis & Præ-Clarissimis,

D N. ACHILLI DANIELI
LEOPOLDO,

J. U. Doctori celeberrimo & Practico famigeratissimo.

D N. GEORGIO Ritter /
Pastori ad D. Petri in Patria merentissimo.

D N. FRANCISCO BALEMANNO,
Symmystæ ad D. Mariæ ibidem vigilantissimo.

D N. JOHANNI HESSIO,
Symmystæ ad D. Petri ibidem fidelissimo.

D N. ADOLPHO MATTHÆO
RODDIO,

Jcto & Proto-Notario Reip. Lubec. spectatissimo.

D N. GERHARDO Ritter /
Mercatori apud Lubecenses primario.

D NN. AGNATIS, PATRI, AFFINIBUS &
PATRUO OMNI CUM OBSERVANTIA ÆTA-
TEM DEVENERANDIS,

*Hancce Exercitationem Academicam ad contestandum
gratum erga Musarum suarum Parasitatas ani-
mum cum voto omnigena nec nisi cum seris annis fi-
niende felicitatis offert & dicat*

PRÆSES.



Præfamen.



Magna fuit semper apud omnes gentes juramenti religio, maiusque adhuc perjurii odium, quò moratiores animos subinde flagrasse, certum est. Cum enim expertum haberent, nihil aequè ac juramentum abdita animi sensa revelare, exortas dissentientium lites componere, fœderumque pãctis consistans robur adjicere, cane & angue pejus perjuros avertabantur, quorum malitia unicum hoc in rebus dubiis refugium pondere suò exuere non reverteretur. Romani, ut reliquas gentes taceam, Numa Pompilii, Regis sui, leges de juramento non violando, quas exhibet Camerarius Hor. Subc. Cent. II. c. 77. sanctissimè observârunt. Unde, cum quidam ex eorum civibus, ab Hannibale captus, sub juramento Romam missus esset, ut pretium redemptionis sibi acquireret, nec tamen libertati restitutus de servando juramento cogitaret, vincitum illum Senatus Hannibali remisit, ne fides juratò data frangeretur, uti ex Eutropio refert Jac. Ebertus in Historia Juramentorum p. 99. a. Usque adeo Ethnici illi, spissis licet idololatriæ tenebris immersti, ad juramenti efficaciam attendebant! Quæ & alia dum in veterum annalibus relata legimus, doleamus, necesse est, nequitiam Seculi nostri, quæ eò jam abiit, ut ii ipsi, qui Christo nomen dederunt, multis perjuriorum maculis se temerè conspurcent. Fontem hujus tam nefandæ malitiæ indagaturo occurreret inter alias causas vana illa plurimorum hominum persuasio, quâ fascinati, juramenti obligationem quâvis probabili juris specie eludi posse, autumant. Equidem dissentendum non est, dari juramenta non obligantia, sed enim



cauendum insuper, ne numerus eorum nimium extendatur. Quod dum prohi dolor! ab imperito vulgo pariter ac nonnullis eruditis fieri soleat, constitui mecum pro virium modulo in presenti Dissertatione, ea sub incudem revocare iuramenta, quæ falso quibusdam non obligantia habentur. Si Candidus & Benevolus Lector veniam dabit in quibusdam erranti, in aliis rem pro dignitate non examinanti, faciet id, quod mihi ætas mea, rebus gravibus longè impar, de ejus humanitate pollicetur.

§. I.



IN explicandis Tituli vocibus non multum morabimur, pauca è multis tradituri, quæ inveniuntur apud Joh. Guilielm. Stuckium in Sacrorum & Sacrificiorum gentilium descriptione, p. m. 90. seqq.

§. II.

Quoad derivationem vocis: iuramenti, notamus, aberrare illos, qui eam ex duplici voce compositam volunt, ita ut iuramentum idem esset, ac Juris Astringentum, cum omni catenâ fortius adstringeret; aut ut diceretur, quasi Jus vel Justitia mentis, quam maxime obligaret; aut ut conveniret cum Jure manente, quod ubi semel legitime obligaverit, tolli postea non possit. Hæ enim & aliæ derivationes, quamvis conceptum iuramenti aliquò modò exprimant, regulis tamen Grammaticæ ægrè conformabuntur. Unde, rectius alii à solo verbo: Juro, dictum esse iuramentum arguunt, quod ipsum à Jure descendit. Iuramentum enim testibus adhibitis eam promittit obedientiam, quam jus requirit, aut, uti alii explicant, non minus sanctum & religiosum habendum est, & habetur, ac jus ipsum.

§. III.

Sunt & aliæ, quibus iuramentum Latini exprimunt, voces, inter quas eminent Jusjurandum, ab eodem stemmate deflexum, & Sacramentum à sacrando ita dictum, quamvis hæc in specie militare iuramentum denotare soleat. Joh. Weiff in Dissert. Morali de iuramentis Jenæ 1675. habita observat, olim quidem inter iuramentum & jusjurandum id intercessisse discriminis, quod illud rei non rixosæ;

rixosa; hoc vero rei rixosa interventum diceretur. **Conjuratio**,
 dejeratio, pejeratio &c. in quantum cum juramento conveniant, aut
 ab eo discrepent, vide apud Stuckium l. c. Græcis juramentum ap-
 pellatur **ἑρκος**, quod alii ab Hebræorum **קָרַן** femur, quia apud He-
 bræos jurantes manus supponebant femori, vide Gen. XXIV, 3. alii
 ab **ἑρκος** vel **ἑρκισ**, septum; alii ab **ἑρς**, terminus alii
 ab **ἑργαν** arcere, cohibere, deducunt vid. Johann. Nicolai Dia-
 tribe de Jurament. pag. 4. sqq. Alias ipsis juro est **ἑρκωμι**, unde
 Latinorum Omen & Ominor, quoniam jurantes sibi ipsis mala qua-
 vis ominantur. Utrumque autem videtur esse ab Hebræorum **קָרַן**
 quod fidem, veritatem aut certitudinem indicat. Alias derivationes
 vel ab **ἑρς** & **ἑρως** vel ab **ἑρμα** & **ἑρως**, vide apud Eber. in Histor.
 Juram. p. II. a. Apud Hebræos notior præ reliquis vox est **שָׁבַע**
 vel **שְׁבַע** à **שֶׁבַע** septem, quasi dicas Septimatium vel Septiman-
 dum, vide Leigh. in Critica. Quemadmodum enim numerus septe-
 narius numerus est religiosus, certitudinis & perfectionis, ita & ju-
 ramentum perfectissima, certa & religiosa rei confirmatio est. Se-
 cundum Cabalistas ille, qui pejerat, à septem rebus se excludit; à
 vita, pace, sapientia, divitiis, gratiâ, semine, imperio, vide Nico-
 lai l. c. Germanis à vocabulo: **schwer** / difficile, jurare indigitur
 per **schwören** / & juramentum per ein **Schwur** / cum non tam faci-
 le ad juramentum sit deveniendum. Vocabulum **ἑρκος** & ipsum
 juramentum denotat, quod an ab Hebræorum **קָרַן** Testis, it. Testi-
 monium, aut à Græcorum **αἰδώς** pro **αἰδώς** infernus, aut à Germano-
 rum **ein** / ut sit, quasi **Ein** / originem trahat, jam non decidemus.

S. IV.

Juramentum in genere duplici modo considerari potest;
 alterò, quando in sensu formali, communi & latiori: alterò, quan-
 do in sensu materiali, proprio, & strictiori sumitur. Ad priorem
 sufficit, quod sit assertio per Deum, aut per ejus immutabilem justi-
 tiam facta in testimonium veritatis; quò sensu & ipse Deus pro-
 priè jurare dici potest, nec opus est, ut **ἀποκαταστάς** de ipso in-
 telligantur, quæ in S. Codice de illo jurante proferuntur, e. g. c. VI.
ad Hebr. v. 13. & 14. Gen. XXII, 16. Amos VI, 8. &c. Hic enim com-
 munitati juramenti conceptus & divinis & humanis juramentis re ve-
 rà inesse deprehenditur; vide hæc uberius discussa à B. D. *Veltbemio*
in peculiari Diss. de Juramentis Divinis & Humani habitata Jene 1684.

Alia ratio est juramenti in sensu materiali & stricto accepti, cum bene definitur juxta *Pufendorsum* §. N. & G. l. IV. c. II. §. 2. quod sit assertio religiosa, quâ divina misericordie renunciamus aut divinam pœnam in nos deposcimus, nisi verum dicamus. Tale certè juramentum Deo nemo sanæ mentis tribuet, cum ille jurans nullum religionis cultum peragat, quem semper inferior præstat superiori. Deus autem quem agnoscet superiorem? Nos, quibus de humano juramento tantum agere animus est, mittimus latiore vocis juramenti significationem, ad strictiorem solum in præsentiarum attendentes.

§. V.

Circa alteram in Titulo occurrentem vocem: obligantia, aut nihil aut parum monendum erit. Sciendum tantum, juramentum non producere novam obligationem, sed obligationi in sese valida velut accessorium quoddam vinculum supervenire; *quamvis sæpe unò sermone complecti possimus ipsam principalem obligationem, & accessorium jurisjurandi vinculum, vide Pufendorf. §. N. & G. l. IV. c. II. §. 6.* Promissum, quod vel de hac vel de alia re dedi, firmiter me obligat; huic si juramentum adjungo, non novam mihi obligationem contraho, sed obligationem jam contractam firmius corroboro. Neque tamen exinde cum *Thoma Hobbeso* concludendum, jusjurandum nihil superaddere obligationi, quæ est ex pacto. Hoc enim si concederetur, frustra foret in rebus gravibus & dubiis ad juramenti valorem recurrere, frustra Reges & Principes juramentum fidelitatis à subditis exigerent, frustra quæcunque pacta & promissa jurejurando confortarentur, cum vel adjectò hoc vel omisso, eadem tamen animos hominum stringeret obligatio. Uti que obligationem inducit juramentum, & quidem fortiorem illà, quæ ex nudo pacto & promisso oritur, cum obligationi ex naturali ori ortæ religionis insuper obligationem annectat, quæ illam arctiori adhuc, quam antea, vinculo, constringit. Contra *Hobbesum*, ejusque ficulneas rationes disputat *B. D. Veltbemi* in *Disp. modò cit.* p. 37. 199. Est autem obligatio, ut habet *Excellentissimus Dn. D. Weidlingius* in *Præceptis Moral. Tab. VI.* maximè triplex, vel civilis, quæ resultat ex jure civili; vel naturalis, quæ juxta illum est vinculum, quò quis ex sola naturali æquitate adstringitur ad aliquid præstandum; vel



vel *mixta*, quæ ex duabus prioribus conflatur. Nobis de media sermo est, quæ multa juramenta homines obligant, *ut ut falsò non obligantia habeantur.*

§. VI.

Hæc inter primò locò *Juramentum per falsos Deos datum* examinabimus, ostensuri, omninò illud cum valida obligatione esse conjunctum. Præsupponimus autem cum, qui tale juramentum præstat, ex erroneæ conscientiæ vitiò firmiter sibi persuasum habere, ipsis illis falsis Diis, quos veneratur, veram veri Numinis divinitatem inesse. Christianus enim per falsos Deos jurans, quamvis gravissimè peccet, vi juramenti tamen non obligatur, cum noverit falsum, non verum Deum à se in testimonium veritatis invocari. Idem tamen ubi in exteris locis se Muhamedanum finxerit, sicque personatus alteri inscio juramentum per Pseudo-Propheetam hunc præstiterit, contrahet exinde obligationem conscientiæ suæ. Nam quamvis ultionem Muhamedis non revereatur, cum in animo ab ejus religione abhorreat, verbis tamen, ex quibus pars altera judicat, hæc talia simulavit, atque adeo is, qui juramentum derulit, non aliter fuit informatus, quam quod jurans Muhamedem, ut missum à Deo Propheetam suspiceret & adoraret. Sed redeamus ad Idololatrias, ad quos omnes illos jure referes, qui aut planè à vero Deo alieni sunt, aut præter illum verum Deum alias insuper creaturas divinò honore maestant. Judæi & Muhamedani hic non excludendi sunt, nec cæteri quicumque Anti-Trinitarii. Hi enim omnes, cum sibi Deum sub una persona fingant, à vero ejus cultu aberrant. Papicolæ Sanctos invocandò Idololatrarum numerum augent, atque adeo & ipsi per Sanctos jurandò falsos Deos testes adhibent. Non autem in præsentiarum fustus considerabimus illas inter Moralistas ortas lites, an ejusmodi juramentum Idololatræ deferre, aut ab eodem accipere homini Christiano liceat? Plerique utrumque concedunt, ubi summa necessitas, & salus publica illud injungere videantur, nisi illò *Augustini ep. 154.* veritati non contrario: *Qui utitur fide illius, quem constat jurasse per Deos falsos, & utitur non ad malam rem, sed ad licitam & bonam, non peccato ejus se sociat, quò per Demoniam juravit, sed bono pacto ejus, quò fidem servavit, vid. Dürrius in Theol. Mor. G. II. P. II. §. XIII. Heideggerus in Corpore Theol. Christ. T. I. p. 539. n. LVII.*

Id.

Id. in Dissert. Select. diff. XVII. §. 14. & tandem M. Swertner. in Disquis. Morali de Juramento per falsos Deos, habita hic Lipsie 1685. Id saltem, uti ab initio promissimus, videbimus, an Idololatram juramentum suum possit devincire. Affirmativam defensionem partem, id nobis maxime moveri posse dubium, non diffitemur, ad juramentum legitime obligatum desiderari Testem infallibilem, ultoremque potentissimum, quos qui in Idolis, corruptæ Ethnicorum mentis Chimeris, quæreret, operam perderet. Sed verò hic scrupulus tantus non est, quin non facile posset evelli; præsertim, cum rationes pro nobis pugnantes firmiori fundamentò suffulciantur. Quid notius est in sphaera morali, quàm quod & ipsa erronea conscientia vim obligandi habeat. vide hoc demonstratum à *Joh. Wolff. Jägero in Basii Philos. & Theol. Moral. Quest. V. de Conscient. Erron. p. 97.* Quamvis itaque Ethnicus, falsos Deos suos veri instar Numinis colens, erroneam conscientiam laboret, nihilque præter Idolum re verà divinò honore prosequatur; attamen jurans per illos, cum per verum Deum jurare se credat, ex suppositione vanæ hujus persuasionis juramentò tenetur. Quod nì esset, qui possent exortæ cum Idololatrias lites tuto componi? qui aliæ gentes cum ipsis pacisci? cum ad utrumque negotium juramenti religio requiratur. Quid vero juramentum proderit, nisi obligationem afferat juranti? Sunt hæc genuinæ & solidæ rationes, quæ sententiam nostram satis superque evincunt. Unde patet, veram thesin malè defendi ab illis, qui exinde, quod ejusmodi juramentum verum prorsus juramentum sit, obligationem ejus derivant. Cum enim ad verum in se juramentum, testis infallibilis desideretur, aut falsos Deos testes infallibiles habeant, aut probationis suæ infirmitatem agnoscant. Nec illi in asserenda thesi rectè procedunt, qui obligationem, quæ Idololatram jurantem constringit, solum ex fœdere, pacto, promisso fideque humana, non vero ex juramento ipso manare asserunt, cum sic ipsi juramento obligatio nulla tribuatur. Dubium superius allatum ex nostra mente bene solvitur, si juramentum hoc non absolutè, sed in respectu ad conscientiam jurantis erroneam spectetur. Sic enim spectatum est omnino verum juramentum, quod ad veri Dei honorem ex mente jurantis pertinet. Unde agens contra tale juramentum perjurii crimen incurrit, nec effugit veri Dei vindictam, qui in suam

in-

injuriam id factum interpretatur, cum jurans, quanquam sub falsis
notis generali tamen complexione Numen intuetur, ut loquitur Grotius
de J. B. & P. l. II. c. XIII. n. XII.

§. VII.

Sed quid de juramentis per creaturas habendum? Certè
sunt, qui illa obligare negant. Verbis ludere imperitum vulgus con-
suevit. Hinc nescio quas non juramentorum formulas excogitet?
non alium in finem, quàm ut vim jurisjurandi evertat. Putat quippe,
si modo Deum testem verborum suorum explicitè non invocave-
rit, in ornamentum & supplementum sermonis reliqua quacunque
juramenta sine ulla obligatione tuto posse usurpari. Ejusdem fari-
næ Judæi fuerunt, qui posterioribus temporibus non multum ejusmo-
di juramentorum formulas curabant. Nam cum majores eorum
solum per Deum jurassent. e. g. Abraham Sodomorum Regi Gen. XIV,
v. 22. & idem Regi Abimelech Gen. XXI, 23. 24. Jacobus Labani per
timorem Patris sui, h. e. per eum, què Pater ejus Isaac Deum timue-
rat Gen. XXXI, 54. Sauli postea temporibus vel etiam citius à primava
jurandi consuetudine devii, non tantum per Deum, sed & per salutem
Principis, & per salutem propriam jurare cœperunt, ut videre est in
Chetæo Uria per salutem Regis Davidis juramentum concipiente,
2. Sam. XI, 11. Christi autem temporibus Pharisæi, qui inter Judæos
miram præ reliquis sanctitatem, curamque conservandi religio-
nem affectabant, eò abierunt dementia, ut juramenta per creaturas
non tantum temerè adhiberent, sed & adhibitis nil quicquam obli-
gationis inesse docerent, nisi adjecti pœnâ, ut, si fallerent jurantes, res,
de qua jurabatur, Deo consecraretur, vid. Grotius l. II. c. XIII. §. XI,
n. 2. Equidem illi omnes vani & temerarii juramenti ofores videri vo-
lebant; unde flagellandum eum, qui sic jurat, & execrabilem fieri cen-
sebant. Verum enim verò tam arctis cancellis vanum juramentum
includerant, ut nihilominus in re quacunque levi per creaturas jura-
ri posse adstruerent. Jurabant frivole per cœlum, per templum, per
urbem Hierosolymam, per agnum, per altare, per lignum, per sacrifi-
cia ignita, per patinas, per capita sua, sicque jurantes de obligatione
per juramentum introducenda non erant solliciti. vide Ligstoori Hor.
Hebr. in Evang. Matth. in c. V, 33. & c. XXIII v. 16. Nec Ethnici so-
lum Deos suos in juramento nominarunt. Jurarunt enim insuper
per homines, eosque tum vivos, tum mortuos, quos maximè suspicie-
bant

B

bant



bant aut adamabant, per partes hominis, puta per caput, per oculos, per dextram, per barbam, jurabant etiam per bruta animalia, per anserem, per canem & arietem, per porcum aliaque; imo & per inanimata jurabant, per sidera, per elementa, per coelum, per mare, per terram, per ventos &c. per stygiam paludem, per plantas, per cibos, per capparim, per brassicam, per vinum, per lapidem, per ferrum candens, per numerum quaternarium, per sceptrum, per telum, acinacem & mensam, vid. *Struckius l. c. p. 94 seqq.* Quin & Christiani hunc jurandi morem imitati sunt. Milites prioribus Seculis jurarunt per Deum & per Christum, & per Spiritum Sanctum & per Majestatem Imperatoris. Sic & *Carolus Gonzaga* novo ordini Equitum hanc praescripsit formulam juramenti: *Juro per immortalem Deum, perque vitam, quam profiteor, nobilitatem.* vide *Puffendorf. l. IV. c. II. §. 3.*

§. VIII.

Nos jam non inquiremus, an ejusmodi juramenta imitanda sint nobis Christianis; quod defendere satagunt nonnulli ex Pontificiis cum aliis quibusdam Moralium Doctoribus, si relativè per creaturas juretur, quatenus in illis divina relucet perfectio, contra quos accuratè disputat *Heideggerus in Dissertat. diss. XVII. §. X. seqq.* monens tamen non esse cum juramento per creaturas confundendum I. Juramentum execratorium in creaturas, ubi devoveri possit creatura vel ad nos pertinens, ut anima, vita, salus; vel ad nos non pertinens, veluti salus aut caput Principis, cum qui ita devoveret in juramento creaturam, non idcirco per eam juraret, quia per eam non fieret attestatio; sed se tantum vel alium, in cujus salute ipsius quoque salus vertitur, Deo vindici oppignoraret, si pejeraret. Quo refert verba *Davidis Psal. VII. 6. Domine, si hoc feci, prosequatur inimicus animam meam,* & verba *Pauli 2. Cor. I. 20 Deum invoco testem in animam meam;* item Juramentum Graecorum: *ἡ τῆν κεφαλῆν;* & Romanorum: *Per Caput hoc juro,* aliaque. II. Nec esse huc trahendam obtestationem & asseverationem gravem, quâ unius rei minus competentæ veritas comparatur cum rei alterius magis competentæ veritate, cum aliud sit obtestari & asseverare per creaturam, aliud jurare per creaturam. Ejusmodi obtestationes esse contendit verba *Josephi Gen. XLII. 15 ad Fratres dicentis: Per hoc probabimini, per vitam Pharaonis;* verba *Elisei 2 Reg. II. 24. 6. ter repetita: Per vivum Jehovah & per vitam anime tue;* item *Abneri i. Sam. XVII. 55. interroganti Saulo respon-*

den-

dentis: *Per vitam anime Tue, Rex, si novi.* In cujus celeberrimi Viri iudicio maximam partem acquiescimus; modò alia adduxisset asseverationis gravioris exempla, cum adducta verba formale juramentum execratorium continere videantur.

§. IX.

Sed hæc *ὡς ἐν πρῶτῳ*. Redimus ad problema, quod quatit, an juramento ejusmodi per creaturam factò obligatio quædam sit adjudicanda. Negativæ partis Patroni non leve exinde movent dubium, quod ejusmodi juramentum ne quidem dicendum sit legitimum juramentum, adeoque nec obligare valeat. Ast satisfiet huic dubio, ubi primum affirmativam sententiam ex nostra mente probatam dederimus. Notamus autem I. jam non nobis curæ esse illa juramenta, quæ ab Ethnicis fiunt per creaturas, quas illi Numina & habuerunt & adorârunt. De his enim jam supra dictum est, omninò ea ex errore conscientiæ persuasione obligare. 2. Execratoria juramenta non haberi nobis juramenta per creaturas, adeoque nec de iis thesin probandam esse, cum iis nec quispiam obligationem denegaret. 3. Juramenta per creaturas, ut creaturas, ita, ut illas & testes & vindices ultimato posceremus, esse *σδηρόζυλον*, nec nomine juramentorum vocanda, cum in juramenti testis infallibilis, ad minimum ex persuasione jurantis talis adsit, necesse sit. 4. Juramentum per creaturas transitive tale, ita ut per creaturam ad Creatorem transiret religiosus cultus, & in hoc ultimato terminetur, non quidem in rei veritate esse fundatum, cum sic aliquò tamen modò honor uni Deo solum debitus creaturæ tribueretur; nihilominus obligationem inducere ei, qui illud eò erroneò animò præstitit. Hisce præmonitis definimus jam, omne juramentum per creaturam, modò sit propriè juramentum, obligationem asserre. Probamus, quia sic jurans, si jurare animus est, non creaturam, sed ipsum Deum per creaturam testem verborum cupit. Ubi verò Deus testis verborum constitutus est, ibi obligationem ex prolatò juramento fluere, quis dissebitur? Unde est, quod ipse Deus ultionem perjurii ab homine per creaturas falso jurante exigat, cum ad eam exigendam mediare & implicite per creaturam à jurante fuerit invocatus. Accedit omni auctoritate majus divinum testimonium, quò perversam Judæorum de juramento per creaturam persuasione reprehendit *Salvator Matth. XXIII, 16, 20, 21, 22. Qui jurat per altare, jurat per illud & omnia, quæ supra illud sunt.* Et

qui jurat per templum, jurat per illud, & eum, qui inhabitat illud. Et qui jurat per caelum, jurat per thronum Dei & per eum, qui sedet super illum. Quibus verbis non probatur turpissimum hoc Judæorum, cacothēs, sed saltem docet, Judæos ita jurantes obligari, & violentes tale juramentum perjurii maculam mereri, quia creaturas eas nominantes tacitè & implicitè nomen quoque Dei nominarent, ut loquitur Heideggerus l. c. §. XI. Conf. Chemnitii Harmonia T. I. C. Li. Per. III. p. 450. Quò abit etiam Hieronymus, quando allegante Jo. Wolffg. Jegero in Tract. Moral. de Juramentis, hac de re ita disserit: *Quamvis non sit per creaturam jurandum, si tamen juretur per creaturam, servandum est quidem, dummodò sit licitum, quod juratur, quia teste veritate, qui jurat in celo, jurat in Dei throno, & in eo, qui sedet super eum.*

§. X.

Sed qui jam satisfiet dubio secus sentientium, qui objiciunt nobis, ejusmodi juramentum ne mereri quidem nomen juramenti, inò ab homine Christiano nullatenus præstandum esse, adeoque nec obligationem posse habere comitem. Quò ad primum attinet, non videmus qui ejusmodi juramento, ubi Deus testis & vindex, quamvis implicitè, postulatur, nomen juramenti denegari possit? Hoc quidem veritati consentaneum ducimus, non fas esse sub tali juramento sese oppignorare, ut habet alterum objectionis membrum; sed inde non evincetur, illud, ubi de factò prolatum fuerit, non obligare. Aliunde enim est, quòd præstare tale juramentum non liceat; aliunde, quòd præstitum tamen obliget. Illud inde est, quòd aliter ab ipso Deo edocti sumus, qui sibi proprium honorem hunc voluit *Deuter. VI, 13. & X, 20. Exod. XXII, 11. Esa. XLV, 23. & XLVIII, 1.* & expressè damnavit juramenta *per eos, qui non sunt Dii Jer. V, 7.* Hoc inde, quia tacitè & in his ipsis juramentis Deus compellatur, compellatoque testimonium & ultio defertur. Si hæc procederet Propositio: *Quodcumque juramentum ab homine Christiano non est præstandum, illud de factò præstitum non obligat;* sequeretur, quòd juramentum de re levi conceptum nil quicquam obligationis progigneret. Christiano enim in re levi non est jurandum, cum necessitas juramentum imperare debeat; at quis inde ipsum, ubi juraverit in re levi, obligatione ex hoc juramento redundante absolveret?

§. XI.

Sunt ex *Scholasticis*, quos allegat Jegerus l. c. p. 98, qui putant, neces-

necessariò ad juramentum requiri verbum: *Juro*. Sed bene idem *Jegerus* contra illos urget, sufficere jurare in actu exercito, etiamsi non explicetur actus ipse juramenti in actu ligato. Illustrabimus rem simili. Si quis animum habet promittendi alteri certam pecuniæ summam, non opus est, ut verbum: *Promitto*: promissioni suæ præmittat: sufficit, si dicat: Dabo Tibi centum Imperiales. Quis vero inficiabitur, jurasse *Paulum*, quando *2. Cor. 1, 23. Deum invocat testem in animam suam*, aut veteres Romanos, quando dixerunt *Ædopol, Mæbercule* &c. ? Neque tamen his in formulis verbum: *Juro*: expressum cernimus. *Pelagiani* & ipsi errant, quando urgent, in legitimo juramento, tanquam necessarium quid, Particulam: *Per*: esse adhibendam. *Jeremias* enim illos assertum refellit, quando *cap. IV.* ita fatetur: Et jurabunt: *Vivit Dominus*. Unde omnes asseverationes, in quibus adhibentur formulæ: *Scit Deus, Testis Deus, Testem Deum invoco, vivit Dominus, coram Deo* &c. sub juramenti rigore obligant; vide hæc uberius diducta à modò laudato *Jegero l. c.*

§. XII.

Ad idoneam juramenti Causam Efficentem proximam Moralitæ non pauca desiderant. Volunt enim eum, qui ad juramenta admitti possit, I. in perfecta ætate esse constitutum, 2. sanæ rationis usu præditum, 3. immunem ab alterius potestate, 4. bonæ notæ hominem esse. Unde excludunt à juramenti subiecto infantes & pueros. Hi enim cum plenò rationis usu careant, adeoque ex proarèsi seu libera voluntate, quæ adesse debet in jurante, agere non possint, contra fas ad juramentum adigerentur, cujus insuper religionem & præstantiam propter ingenii imbecillitatem non assequuntur. At vero prudenti hic conjecturâ opus est, ut, quò tempore sese plenus rationis usus exerat, advertamus. Quamvis enim jus positivum humanum annos pubertatis præscripserit; ex Natura Rei tamen certa ætas in omnibus determinari nequit, cum tempus perveniendi ad plenum rationis usum in omnibus non sit idem. II. Excludunt dementes & furiosos, & quidem eo tempore, quò vesania dominatur. Ratio in promptu est, quia deliquim rationis, quod hi homines patiuntur, non permittit, ut in rem ipsam rei que circumstantias pro dignitate inquirent; id quod tamen jurans faciat, necesse est, quippe qui deliberatò animo ad juramentum debet accedere. III. Removent alterius potestati subiectos, cum non sint sui juris & Superiorum mandatò ligati quasi, non

nisi consentientibus illis cum effectu juris agere possint. Hinc jurare non debent liberi, foeminae, maritae, servi, ancillae, subditi, milites. Quod tamen non ita absolute, sed limitate intelligendum est de his rebus, in quibus alterius potestati & Imperio subfunt. Nam in quantum sui juris sunt, pro arbitrio suo semet sine consensu Superiorum ad rem aliquam jurato obligare possunt. IV. Non agnoscunt pro genuino Juramenti subiecto affectu aliquod nimium occoratos, itemque ebrios, cum & his partim affectus, partim nimii potus vehementia rationis lumen exstinxerit. Unde probanda omnino laudabilis illa in plurimis locis consuetudo, qua primo mane non nisi a jejunis juramentum praestari permittitur. V. Non admittunt perjurum, aut alio notorio crimine infamem, cum illi, qui semel pejeravit, credi postea, etiam si per plures Deos juret, non debeat. VI. Inopes omnique vitae alimentis destitutos, cum facile possint pecunia corrumpi, summa urgente necessitate, vid. *Jeger. l. c. Art. II. Qu. IV. Balduinus in C. C. l. II. c. IX. Cas. V. it. Job. Weisii Disputatio de Juramenti habita Jenae 1675. cap. IV.*

§. XIII.

Sed quid sentiendum, si ejusmodi homines, quos a Juramenti subiecto abarcendos esse audivimus, nihilominus illud praestiterint? An inde sibi contrahant obligationem quandam? Distincte hic respondendum esse censemus. Neque enim omnium eadem est ratio. Qui plane pueri sunt, aut omni rationis usu per dementiam ac furorem capti, illos juramento obligari, non crederemus. Neque enim ipsi in culpa sunt, quod ignorent, quid ipsi faciant, quid jurent, aut quid sub execrationibus asserant; non aliter ac Pittaci, qui formulam quandam juramenti saepius auditam, sine ulla reflexione possunt repetere. Quamvis tamen ejusmodi hominibus auctores essemus, ut, si postea per intervalla angerentur conscientia, juramentum, ubi rem leyem & servatum possibilem concernat, exequerentur. Alia autem ratio ebriosorum est, quos omnino juramento suo teneri censemus, cum sua culpa sibi lumen rationis ademerint. Valet hic illud tritum: Qui vult anteedens, vult etiam consequens, itemque aliud: Qui versatur in statu illicito, tenetur de omnibus, quae veniunt ex illo statu. Perjurus, si ad juramentum admittitur, non exinde obligatione solvitur, quod semel eam floccipenderit; sed potius maculam hanc tollere tenetur. De ceteris facile est judicium. Servus aut alius potestati superioris subiectus omnino obligatur juramento, nisi Dominus expresse contradicat.

§. XIV.



Deliberatus animus, & libera voluntas necessaria jure habentur
 requisita, ut quis ex juramento possit obligari. Quia & intentio ju-
 randi adesse debet, cum is, qui nuda verba recitet sine intentione juran-
 di, rectè se excusare possit: Non ego juravi, legi jurantia verba. At
 verò quid judicandum de eo, qui deliberato animo, liberà voluntate &
 cum intentione jurandi verba juramenti protulerit, non tamen inten-
 derit, se velle eò juramentò obligari? Miraberis certè, quosdam ex
Scholasticis eò abiisse vesanià, ut sic jurantem omni planè obligatione
 liberare allaboraverint, vid. *Durrus l. c. C. II. P. II. §. XVI.* Ast verò
 rectius hac in re sentiunt alii *Moralium Doctores*, inter quos eminent
Grotius l. c. L. II. c. XIII. n. II. cujus rationem, quam dictò locò affert,
 cur rejiciat *Puffendorffius §. N. & G. l. IV. c. II. §. 5.* & cum eo *Joh. Jac.
 Müllerus in Institutionibus Ethicis Positivo-Polemicis P. II. c. XVI. p. 220.*
 non videmus. Omnino enim *obligatio*, quam causam affert *Grotius*,
est à juramento inseparabilis, & effectus ejus necessarius; modo reli-
 qua, quæ ad obligationem in jurante producendam præsupponuntur,
 bene sese habeant. Dantur quidem juramenta, quæ nulla sequitur
 obligatio, cum vinculum iniquitatis jusjurandum esse non debeat; at
 ubi materia licita cæteraque quæ validum juramentum constituunt,
 requisita non desunt, obligatio necessariò ex ipso illo juramento in ju-
 rantem redundat. Jam, cum *Grotius* præsupponat, ejusmodi jurantem,
 qui tacitè intendit se nolle obligari, legitimum quoad reliqua præstare
 juramentum, quidni ad demonstrandam thesìn, quæ hominem illum
 nihilominus obligari asserit, possit causà uti: *quia à legitimo quoad
 reliqua juramento obligatio est inseparabilis.* Qui enim jurat, eo ipso
 cæteris paribus obligari velle, creditur. Jurare autem legitimè & nolle
 obligari, *ἀδύνατον* meritò dixeris. Interim tamen nec rejicienda est
 ratio, quam loco hujus *Puffendorffius l. c.* adjungit; quod se, *alias om-
 nis usus juramentorum, imò omnis ratio intervenientibus signis sese
 obligandi, ex humana vitâ tolleretur, si quis tacitâ suâ intentione pos-
 sit impedire, ne effectus ille alicui sequatur, cui producendo idem
 est institutus.* Quod *Scholastici* hic oggerunt, requiri intentionem
 agentis, ut ipsi actio possit imputari, adeoque, qui non intendat obli-
 gationem, nec posse obligari, facile exploditur. Sufficit enim quod
 ejusmodi homo intendat jurare, cum eo ipso etiam intendat obliga-
 tionem, quæ à legitimo juramento nunquam exulat. Certè qui in-
 tendit

tendit jurare, nec tamen obligari, idem facit cum eo, qui vult digitum aquæ immergere, nec madefieri, aut manum igni applicare, nec calefieri.

§. XV.

Objectum, cui juratur, non tollit obligationem jurantis simpliciter, nec ideo cessat legitimi juramenti obligatio, quod sit aut perjuro, aut latroni datum. Jurans enim obligatur etiam Deo, non tantum illi, cui jurat. Jam, quamvis fieri possit, ut homo, cui juretur, nullum ex juramento jus consequatur, quia non legitimis mediis illud exigendi usus est; nihilominus tamen *qui juravit, Deo obligatur, stare jurejurando*, vide *Grot. c. XIII. l. II. §. XIV. & licet persone jus deficiat, cum Deo negotium est: qua de causa juramentum voti nomine nuncupatur, Id. Ib. §. XV. n. 2.* At vero aliter judicandum, ubi mutua & reciproca est obligatio, ita ut promissio una aperte involvat respectum promissionis alterius, cui illa quasi conditioni fuit superstructa. In ejusmodi casu, ubi alter perjurium committendo juratum non servaverit, evanescit eo ipso alterius juramenti obligatio. Nos loquimur de perjuriis, qui quocunque alio actu aut tempore illo se vitio macularunt, atque his ipsis juramentum ab alio servandum esse asserimus. Ita si Tibi quispiam denegaverit pecunias mutuo datas, qui tamen jurato promiserit, se redditurum, non propterea jus habes denegandi eidem, quod citra respectum promissionis illius mutuo ab eo accepisti, & exsolviturum Te jurasti. Quod exemplum est *Heideggeri l. c. §. XXXIX.* Ex quibus patet, aberrasse a vero *Ciceronem*, quando *l. 3. Officior.* approbat illud apud *Attium: Fregistine fidem? neque dedi, neque do infideli cuidam*; itemque insulsum merito habendum illud *Scholasticorum* nonnullorum dixerim: *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Neque tamen alterius peccatum mihi parit peccandi licentiam, ita ut ipse statim perjurii notam incurrere possim, licet alter, cui juravi, ea fuerit inustus.

§. XVI.

Verum ad *juramentum, latroni prestitum*, specialius examinandum, ordine devolvimur, ut & de ejus obligatione accuratè possit constare. Adstringere illud, si modò rem licitam concernat, jam supra diximus. Sed vero, ubi juravi tale quid, quod citra læsionem vel pietatis in Deum, vel amoris in proximum vel salutis Reip. servare nequeo, expirat, ut patet, juramenti obligatio. Sic, si jurassem, me

aliis

aliis viatoribus syasurum esse, ut hanc ipsam viam ingrediantur, peccarem. omninò in honestatis & pietatis regulas, si starem promisso hòc, ut ut juratò. Sic si sub juramenti religione silentium latroni promississem, idcirco non tenerer, Magistratum celare factum, cum exinde proximo, in eund. latronem. postea incidenti, injuriam inferrem. Equidem sunt, qui pro obligatione hujus juramenti acriter decertant: *Dürrius c. l. D. Stenberi* sententiam, quã judicat, *silentium juratò promissum esse servandum*, & recenset & approbat, cum quo ex parte faciunt *Theologi Jenenses*, qui in *Responsò* publico à *D. Velihemio in Diss. cit. p. 30.* adducto judicant, non debere ejusmodi hominem Magistratui perionas, locuni, & alias circumstantias præcisè & determinatè indicare, quamvis in genere Magistratum admonere possit, ut de liberandis à latronibus viis publicis curet ac cogitet. Sed rectius alii cum *Baldvino in CC. l. II. c. IX. Cas. XII.* tale juramentum, tanquam de re illicita conceptum, omni obligatione carere asserunt. Rationes ab adversa parte adductæ facile resolvuntur. Nam quod obijciunt, hominem, nisi jurasset, non solum internecioni fuisse datum, sed & quod maximè urgent, ita per ipsum rem non potuisse deferri, id quidem verum est, sed cum jam peccaverit de re illicita jurans peccatum peccato auget, si liber illegitimo juramento illegitimò modò satisfaceret. Indicabit ergo Magistratui, quid sibi acciderit, & quidem hoc eò tutius, si ipse Magistratus ex signis quibusdam aut rumore vulgari hominum rem quòdammodo comperitus, ab illo postulaverit, ut rem omnem ordine exponeret. Quale exemplum hic Lipsiæ accidisse, memorat *Nitschkens im Blumenthal Tit. III.* cum cive quodam Wittebergenfi, quem quidam maleferiati studiosi, nomine illò indigni, metu coegerant, ut ipsis certam pecuniæ summam, in simulque silentium juratò polliceretur. Fecit hoc miser. Sed cum forte fortuitò res ad Electorem, tunc temporis in nundinis commorantem, pervenisset, jussit ipsum, rem omnem liberè ab initio, prout gesta esset, enarrare. Id cum tandem multis admonitionibus persuasus faceret, illi latrones debitam poenam sustinere debuerunt.

§. XVII.

Sic & ad juramentum de re illicita latroni præstitum, adeoque neutiquam servandum referimus illud, quo quis ad redimendam vitam præscriptum à latrone pretium, minitanti illi mortem & dura quævis, juratò promittit. Hominis enim nequam, omnique scelerum lutò inquinati malitiam quocunque modo alere, seque ipsum bonis suis præter fas privare, quis non

non illicitum dicit? Ali autem larronis malitiam erogata pecuniâ, in apri-
co positum est. Cum enim ille videat, tam benè processisse scelus suum, spe
præmii allectus alios quosvis aggreditur, nec unquam à tam proficuo ne-
gotio desistit. Est in hac sententia illustris *Puffendorfus*, contra quem con-
trarium tueri laborant omnes, qui cum *Grotio* l. c. eò abeunt, ut ostendant,
pactum pro capite pretium latroni esse afferendum vid. *Velthemius in Disp.*
cit. p. 28. sqq. & in sua ad *Hugonem Grotium Introductione*, it. *Jenenses Theolo-*
gi in Responso publico, quod lege apud *Dedekenn. Vol. II. von Eyden Num. XI.*
Quæ Grotius c. l. affert de obligatione, quâ ipsi Deo nos obstringimus in ejus-
modi juramento, bene sese habent, & approbata à nobis superius §. XV. At
vero hoc in casu scitè respondet *Grotio Puffendorfus J. N. & G. l. IV. C. II. §. 8.*
Cum votum non stringat, nisi à Deo acceptetur, unde constabit mihi, Deo pro-
bari, ut ego innocens me bonis meis spoliem, & illa in impium nebulonem confe-
ram, ne ille gratis sceleratus fuerit? Nec metuendum est, ut putant Adversarii,
ne latroni exinde ansa detur, summum Numen majori despiciatui habere, cum
sentiat, nos non erubuisse, ejus autoritate in juramento abuti. Qui enim
noverit, cujus farinae hoc genus hominum sit, sciet etiam facile, ne flocci qui-
dem ab iis summum Numen ejusque iram aestimari. Verba ver. 4. *Pl. XV.*
Juratus in damnum suum non tamen muratur, huc non quadrant. Intelligen-
da enim hæc esse de juramento, ubi materia licita, facile concedetur. Nos
vero non statuimus, in ejusmodi casu pecuniam illam esse respiciendam, sed
malum, quod pecuniâ illâ latroni datâ efficeremus. Sola ergo materia ju-
ramenti hujus illicita facit, quod obligationem in jurantis conscientia non
possit producere. Jam, si demonstraverint adversæ partis Patroni, licere pec-
uniam pro vita redimenda latroni solvere, triumphum canant. Id quidem
non diffitemur, vitam, tanquam rerum omnium charissimam & pretiosissi-
mam licitè posse redimi pecuniâ; modò non cum latrone res sit, cujus malitia
hæc pecuniâ, veluti fomentò quòdam indes excitatur, & corroboratur. At que
sic rejicimus *Ciceronis* probationem, quæ hujus asserti fundamentum in solo
latrone, quatenus incapax subiectum est, cui obliger, quærit, vide §. XV. nec
probamus eorum sententiam, qui in metu à latrone juranti incussò omnem
asserti rationem collocant, cum ex subsequentibus apparebit, metu injustò
extorta juramenta & ipsa obligare. Obligat itaque, ut compendium dicto-
rum faciamus, juramentum latroni datum, si circa rem licitam & honestam
versetur; non obligat, si materia aut pietatis aut honestatis limites egre-
diatur.

§. XVIII.

§. XVIII.

Lubet jam paucis disquirere de Juramento vi & metu extorto, ut pateat, & illud conscientiam jurantis ad servandum juratum obstringere. Est verò, quod sub initio monendum, alius metus gravis, alius levis, quorum ille subdistingui solet in gravem simpliciter, & respectivè talem. Metus simpliciter gravis dicitur, qui in Virum quemlibet constantem & quadratum cadit, omnesq; hominum, etiam fortissimorum, animos, ut ut alias imperterritos, potest movere & prosternere. Talis esset metus mortis, mutilationis, diuturni carceris, infamia, servitutis, exilii, stupri, amissionis honorum & bonorum, sive jam nobis ipsis, sive nostris, liberis sc. Parentibus, Uxoribus, Fratribus, Amicis &c. hæc talia acerbissima fata imminerent. Contra vero metus respectivè gravis ille est, qui propter pusillanimitatem huic personæ gravis videtur, cum alius minimè habeatur terribilis. Sic fœminis facili negotiò metus incutitur, quò frustra Virum magnanimum terrere studebis. Metus levis procul abest ab animo generoso ac intrepido, nec nisi illos afficit, qui fœmineum sub virili habitu pectus gerunt. Unde hunc mittimus, cum apud omnes in confesso sit, vani timoris nullam esse excusationem. Solum quarimus de juramento metu gravi extorto. Sed nondum res omnis confecta videtur. Datur enim respectu inferentis metus alius justus, alius injustus. Justus ille dicitur, qui incutitur ab eo, cui jus incutiendi metum concessum. Ut si judex reum capitis metu mortis terret, id facit, quod delicti atrocitas, justitiæ regula, officiique sui dignitas requirunt. Injustum metum ille incutit, qui nullò metu terrendi jure gaudet. Unde latro jus habebit, mihi in via remota constituto, ab hominum auxilio alieno mortem minitandi, nisi hoc vel illud juratò promiserim? Si justò respectu inferentis metu percussus rem quampiam ad redimendam vitam, sub juramento fueris pollicitus, nullum dubium est, quin tenearis jurejurando tuo. Qui enim à justo judice capitis damnatur, se certam pecuniam solutorum juraverit, liberatus à poena pactum pretium afferre obligatur. Neque ergo de ejusmodi casibus solliciti erimus, cum & hæc sole meridianò clarius effulgeat veritas, sic potius quæstionem formaturi: An juramentum metu injustò gravi extortum (cæteris paribus) obliget?

§. XIX.

Affirmativam cum plurimis Moralium Doctoribus tuemur sententiam, his potissimum adducti rationibus. Cogi nos ad ejusmodi juramentum præter omne fas, in propatulo est. Ass jurantes ipsi Deo simul obligamur, cui juratum, non aliter ac votum, sanctissimè servandum. *Pufendorfus J. N. &*



G. l. IV. c. II. §. 8. quidem discrimen aliquod observandum esse contendit inter *jurandum*, *cujus verba ad Deum diriguntur* v. g. Si dicam: *Ego Deo juro* &c. & inter *illud, quod ad hominem dirigitur*, seu *ubi Deo teste homini quid promitto*. Illud in dolem voti habere concedit; hoc non item, cum cesset ejus obligatio, si in homine, cui promittitur, vitium sit, ob quod rectè acceptare promissum is non possit. Verum enim vero eò ipsò, dum Deum & testem & vindicem in juramento postulo, sub pœna gravissimæ ultionis me illi devincio, nec opus est, ut explicitè ad ipsum loquar, quoniam sic loquendo juramentum meum non amplius in dolem voti habet, sed formale votum dicendum venit. Sic & extra dubitationis aleam positum est, Deo per quodcunque juramentum jus esse acquisitum. At cui jus defero & offero, eidem ut ad certa puncta obliger, necesse videtur. Manet ergo & subsistit in juramento metu injustò extorto vinculum, quò Deo obstringimur; etsi persona, cui juratum, per illegitima, quibus usà est, media suò jure exciderit. Deo autem obstrictis, ut promisso suo omni cum cura satisficiant, sedulo allaborandum est. Quod si verò iniquum putes, explere ejusmodi juramentum, cur non dubitasti id ipsum præstare? Qui enim sine intentione obligationis jurat, temere jurat, & qui temerè jurat, gravissimè peccat in Deum, cujus Nomen in vanum non esse assumendum, secundum divinæ legis præceptum docet. Deinde, cum metus non possit impedire, quò minus juramentum, cui ille ansam dedit, sit verum juramentum; quomodo impediet, quò minus verum juramentum veram obligationem producat?

§. XX.

Sed non contemnendas in contrarium afferunt aliter sentientes rationes, quibus obligationem ex ejusmodi juramento redundantem evertere conantur. *Primo* enim urgent, promissum metu extortum non obligare; Ergo nec juramento tali promisso addito vim obligandi inesse posse, cum juramentum sequatur naturam actus, cui adjicitur. Sed respondemus, aliam longè rationem esse promissi nudi, aliam jurati. In illo soli homini, in hoc & Deo & homini obligor. Notus Moralistarum Canon: *Juramentum sequitur naturam actus*, non respicit ad re esse firmum vel irritum, sed saltem ad conditiones tacitas & alias limitationes, quas contractus ex jure consuetudinis vel contrahentium mente habet. vide *Job. Wolffg. Jäger l. c. Art. III. Quest. III. p. 174. Secundo* objiciunt, coactas & invitas actiones imputari non posse, adeoq; nec ex coacto juramento posse obligationem oriri Coactum autem hoc planè ha-

habendum esse juramentum, vel exinde patescere putant, quod violentia & metus in ejusmodi casu consensum impediunt, voluntatique libertatem adimant. Sed salva res est, si perpenderit, non inter invitas, sed inter mixtas actiones tale juramentum esse referendum. Quamvis enim ratione externi principii cogentis sit quodammodo invitum; maxime tamen liberum est ratione principii interni seu voluntatis inter duo mala liberè minus eligentis. Neque enim per principium externum voluntas quoad actus internos & elicitos potest cogi, nisi ipsa tandem consentiat. Jam cum ex communi Moralistarum consensu actiones mixtæ spontaneis potius, quam invitis sint accensendæ, vid. *Müller Inst. Eth. l. II. XII. XIV.* apparet, ejusmodi quoque juramentum liberè præstari. Tertio similitudinem inter votum & juramentum, uti etiam inter juramentum & matrimonium intercedere ostendunt; adeoque, cum votum & matrimonium, ad quod vi ac metu fueris compulsum, non obliget; sequi hinc volunt, nec juramentum, eodem modò extortum, ad producendam obligationem esse sufficiens. Verum, quod ad votum spectat, falsò hic supponitur, illud, si vis ac metus extrinsecus cogens accesserit, obligationem suam amittere, cum Deo illud datum sit, quem ob metum incussum illudere velle, extrema malitiæ crimen foret. Quod ad matrimonium attinet, eadem hic, quæ in promissis reliquis valebit responsio. Scilicet in ejusmodi contractu hominem homini solùm obstringi, cum in juramento Deus etiam habeat partes, cui, quod promisimus, servandum. Cætera jam non excutere placet, vid. *Velthem. in Introductione in Grot. de J. B. & P.*

§. XXI.

Paucis tamen videbimus, quæ sit moralitas juramenti, quò nos ad redeundum in carcerem obstrinximus. Discrimen autem hic fieri debere videtur inter illum, qui justè & injustè fuerit in carcere detentus. De priori nullus movetur; quin redire teneatur; de posteriori adhuc inter sese disceptant eruditi. Ponunt autem duos casus. Aut ille, qui jurat, novit, sibi, si redeat, mortis periculum impendere, aut demum post juramentum & post abitum intelligit, in quonam versetur periculo. Si prius est, obligabitur omninò juramentò, quoniam illud de re prorsus licita est, & sine culpa impleri potest; imò & debet. Cum enim ipse ante juramentum præviderit, quid sibi post reditum expectandum, non licebit falsò juramentò mortis discrimen effugere. Sed magis ardua quæstio est, an redire teneatur, si post datum juramentum demum cognoverit, vitæ periculum rede-

unti imminere. Sunt, qui putant, nec debere, nec licitè posse ejusmodi hominem redire, quia redeundò se ipsum innocentem occideret. Sed in reverentiam juramenti legitimè præstiti omnino sese iterum captivum sistere teneri, judicamus; maximè cum non in novum, sed in pristinum abeat periculum, quod, si non jurasset adeoque in vinculis mansisset, æquè ac jam rediens sustinere debuisset. vide *Jägerus l. c. Art. III. §. III. p. 177.*

§. XXII.

Ultimò locò ad obrussam sanæ rationis exigemus *Juramentum dolò elicitum*, ubi pars jurans parti alteri, à qua fraude fuerat perfrasa, juramento sese ex errore obstringit. Multum in hoc enodando problemate defudarunt eruditi, nec in unam hæctenus omnes conspirarunt sententiam. Sunt, qui juramenti dolò elicitu eandem rationem esse putant, ac ejusmodi, quod metu extorquetur, adeoque & illud omni in casu obligare contendunt. Sunt, qui pro contrario pugnantes nulli prorsus juramento dolò elicito quidpiam obligationis concedunt. Nos medià hoc in casu vià incedere tutissimum judicamus, asserentes, in quibusdam casibus dolum à parte altera adhibitum valori juramenti nil quicquam detrudere, in aliis eundem planè infringere.

§. XXIII.

Quod, ut distinctius proponamus, primò distinguendum esse videtur inter dolum licitum seu bonum, & illicitum seu malitiosum. Neque enim dolum malitiam infert, cum primus ejus conceptus nihil aliud involvat, quam disconvenientiam animi cum externis signis, quæ pro re nata, & ratione circumstantiarum vel laudem meretur, vel vituperiò vapulat. Illud fit, si citra ullius præjudicium sine levitate animi, aliisq; pravis circumstantiis eà fraude vel nobismet ipsis, vel aliis prodesse possimus. Cujus fortis ille *Athanasii* dolum fuit, qui interrogantibus ad se capiendum missis respondit, modò hæc transiisse Athanasium. Contra malitiam dolum induit, si in præjudicium alterius & cum levitate animi vel verum occultat, vel falsum alteri perfradet, ubi prior dolum *negativè* talis, posterior *positivè* talis apud Philosophos audit. *vid. Müller l. c. P. II. c. XVI. §. XIX.* Malus dolum iterum subdividendus venit in dolum in ipsa substantia rei, & dolum in accidentibus solum, quæ non spectant ad substantiam ipsius actus, hærentem. Sic dolum in ipsa substantia rei hærentem committeret, qui

qui mihi pro gemma vile vitrum venderet, aut argentum inauratum loco auri porrigeret. Qui autem pannum in Germania confectum ad majorem commendationem ex Anglia advenisse affereret, saltem in Accidentibus & circumstantia loci aliquid falsi admiseret.

§. XXIV.

Hæc de doli divisionibus præmonitis, jam ordine enarrabimus, quis ex illis obligationem ex juramento ortam rescindere valeat, aut quis eandem minimè evertat. De dolo in ipsa substantia rei commissò facilè probari posse speramus, illum omninò obitare, quò minus juramentum obligationis suæ rigorem possit exserere. Est in confesso apud omnes, qui vel primis labiis Moralium præcepta delibârunt, ex actione invita non posse redundare obligationem in agentem. Eum autem, qui dolò in substantia rei sitò captus jurat, invitè agere, vel exinde elucescit, quod ea ignorantia rei, quam aliam, ac sibi pervaserat, postea comperit, juraverit. Non intendit ejusmodi jurans illud juramentò promittere, quod verba ex alterius partis dolo præ se ferre videntur. Dissimillima autem hic ratio est ac in juramento metu extorto. Ibi omninò consensus ultimato approbat juramentum, ut ut principium extrinsecum cogens illud præstandi ansam dederit. Hic vero omnia præter voluntatem promittuntur, nisi id, quod ex dolo alterius jurans supposuit, veritati sit consentaneum. Cum ergo dolò detectò cesset hæc conditio, eò ipsò juramentum non obligat, quod stante hæc conditione præstiterat. Quò enim jure bona quævis fingenti nuncia promissum sub juramento præmium dare tenebor, si postea eventus hunc subdolum tabellarium falsitatis arguerit?

§. XXV.

At vero si quæstio formabitur de juramentis, quæ dolus bonus & licitus; aut malus in Accidentibus tantum existens elicit; respondendum arbitramur, ejusmodi dolum non posse obligationem à legitimo juramento inseparabilem sufflaminare. Nam quod ad dolum bonum & licitum attinet, nemini ille subtrahit jus suum, nec damnum aliquod parti juranti infert. Unde jurans, si viri honesti nomen tueri velit, nihilo minus juraturus supponitur, etiamsi dolus ille non intervenerit.

§. XXVI.

Hujus juramenti exemplum sacræ paginæ exhibent, quando Hi-
sto.

floriam de *Gibeonitis* cum *Josua* pacifcentibus exponunt. *Jos. c. IX.* Scilicet *Gibeonitæ* victrici armorum *Israëliticorum* cursu perterriti, cum & suis collis paratos gladios sentirent, instans malum supplicii deditione, averruncare constituebant. Ast vero vanò metu, ne forte propinquis denegarent veniam *Israëlitæ*, percussi fingebant se longè ab iis terris remotos, ut eò facilius in gratiam reciperentur. Dolum huncce fuisse bonum & licitum, vel ex eo demonstrari potest, quod ad conservandam vitam tenderet, nec alterum quocunque modò defraudare satageret. Quid enim homini decedet, si sanguinem alterius effundere non possit, quem de cætero omnibus rebus privare, & perpetuæ servituti mancipare licet, ita exarmatum ac debilitatum, ut insurgere in ipsum postea nequeat? Sed inquis: Aderat præceptum divinum, quo jubebantur *Israëlitæ*. *Deuter. XX, 16. & 17. de urbibus populorum horum, quos Jehovah daturus esset illis in hereditatem, non vivificare ullam animam; sed devovendò devovere illos; Chittheum & Emoreum, Cananeum & Periseum* &c. quod ipsum præceptum *Gibeonitæ* dolò suò velle eludere videntur, dum patriam suam longè ab his regionibus distare prætendunt. Sed vero, si hoc esset, quod divina voluntas simpliciter injunxisset *Israëlitis*, omnes urbium harum incolas sine discrimine internecioni dare, *Josua* contra mandatum Dei jurasset, quod juramentum si executus fuisset, peccatum peccato addidisset. Et qui Deus in septem filiis Sauli Patris in *Gibeonitis* contra datum à *Josua* juramentum furorum tam gravi poenâ afficere potuisset, 2. Sam. XXI. Si juramentum illud servare, fuisset voluntati divinæ repugnare. Restrindendum itaque illud Dei mandatum, ad illos videtur, qui moniti non facerent imperata, sed pertinaci animò ultima belli fata expectarent. Nec fundamentò caret hæc restrictio, quippe quæ ipse Spiritus Sanctus *codem c. XX. v. 10.* suppeditat, quando inquit: *Quando accedes ad urbem ad oppugnandum eam, invitabis eam ad pacem. Fiat autem si pro Pace responderit tibi, aperueritque tibi, fiat, inquam, ut omnis populus, qui invenitur in ea, fiat Tibi in tributum, serviantque Tibi.* Quod præceptum omnes omninò urbes sive distitas, sive propinquas includebat, cui sententiæ non repugnat *vers. 15.* ubi additur: *Sic facies omnibus urbibus Longinquis à Te valdè, quæ non de urbibus gentium harum.* Hæc enim restrictio *ad v. 14* respicit, in quo feminis, pueris & bestis veniam dare jubet Deus, ut ut vi urbem remotam expugnaverint, cum è contrario in urbibus propinquis, quas vi sub

po-

potestatem redigerent, omne vivum sit morti devovendum. Innuere hoc etiam videntur verba apud *Jos. c. XI. v. 19. & 20.* quæ causam, cur solis *Gibeonitis* exceptis reliquæ gentes omnes ab *Israelitis* funditus extirpata fuerint, illam fuisse affirmant, quod *obfirmaverint cor suum contra bellum cum Israele, ut devotioni darent eas, adeoque ut non esset illis miserratio.* Quodsi generale hoc adeo fuisset mandatum, undæ *Rababa* potuisset vita donari, quam tamen ipsi fuisse indultam *Jos. VI. 22. sqq.* legimus? aut undæ *Salomo* reliquias gentium solò tributi onere premere potuisset, *1. Reg. IX, 21.* quas omnes ex illo mandato generaliter accepto è medio tollere debuisset? Quin & ipsa ratio hujus mandati *v. 18. c. XX. Deut.* addita: *Ut non doceant vos facere juxta omnes abominationes ipsorum* &c. ostendit, mandatum hoc ad illos non esse referendum, qui gratiam ambientes sese religioni *Judæorum* accommodarunt. Sed verba, quibus *Gibeonitarum* Legatos *Josua* compellabat, innuere videntur, non licuisse *Israëlitis* cum populis terræ sibi à Deo promissæ fœdus inire. Sic enim ille *v. 7. c. IX.* *Fortasse in medio mei tu habitans; quomodo ergo excidero Tibi fœdus.* At verba hæc commodè in hunc sensum possunt accipi, quod indicet *Josua*, non esse integrum populo *Israelitico* cum gentibus terræ hujus pactum sociale inire, bene tamen pactum deditiois, cujus vigore deditibus sese vita relinqueretur, *vid. Grov. l. II c. XIII, n. IV. Pufendorf. l. IV. c. II. §. 7. M. Carol. Andreas Medel in Diss. pro Loco de obligatione Juramenti dolosi habità hic Lipsiæ, 1691.* *Calvini* rationes in contrarium prolatas explōsit *Veltbem. in Diss. cit. §. 31.*

§. XXVII.

Restat juramentum, cui dolus in Accidentibus solùm hærens occasionem dedit, quod & ipsum obligare paulò antè asseruimus. Si enim constet, jurantem nihilominus fuisse juraturum, etiamsi scivisset, illud, quod alter mentiens adjecit, ita sese non habere, nec respexisse quidem inter jurandum ad illam circumstantiam, quæ per dolum fuit inspersa, omnino tenebitur juramentò, quod ex pleno voluntatis consensu dedit. Pono casum: Expeteret Princeps quidam Musicum excellentissimum in arte sua. Offerret sese homo in studio hoc versatissimus, qui, cum Italiam nunquam viderit, tamen ut se eò melius insinuet, fingit, se per sex annos in illa excoluisse artem suam. Si Princeps illi juratam promissionem dederit, velle se illum ad officium admittere non habitò respectu ad circumstantiam loci, quam sinxerat alter, juramento suo satisfacere ex

D

jure



jure Naturæ debet. Aliter tamen res sese habet, si Accidentis alicujus intuitu solum quis juraverit. Tunc enim Accidens egreditur limen suum, & quasi naturam substantiæ rei induit. Quò in casu non putaremus, jurantem obstringi jurejurando, cum in hoc Accidente tota ratio consensus, res sic comparata, consistat, vide *Job. Wolff. Jäger. l. c. Art. III. Q. IV.*

§. XXVIII.

Possent adhuc plures species juramentorum, quæ falsò habentur non obligantia, in medium afferri. Sed cum modò adductæ pagellarum spatium oppleverint, sufficiat potiores enumerasse. Juramenta, quorum obligatio nimium arctis limitibus à quibusdam præter fas includitur, superioribus quidem affinia censenda sunt; sed ob materiæ dignitatem peculiarem laborem sibi impendendum postulant.

Tantum!

COROLLARIA.

I.

Angeli sancti inter se considerati non jurant.

II.

Angeli mali non utuntur inter se formali juramentò.

III.

In statu Innocentiæ fuisset aliquis, quamvis rarus, juramenti usus,

Dum

DUm Sophies cathedram Præ-
fes conscendis & edis
Ingenii specimen nobile, Amice,
tui ;
Applaudo studiis feliciter hæctenus
actis,
Et prompta grator mente ma-
nuque Tibi.
Gaudia multa crees charo, RITTE-
RE, Parenti,
Et dulci Patriæ commoda mul-
ta feras.

Peregrino Dn. Magistro Præsidi, Consalino svavissimo,
de insigni hoc specimine, ac simul Venerando ejus Pa-
renti, & celeberrimæ Patriæ de tali filio gratul. scripsit.

D. THOMAS ITTIGIUS,

Theol. P. P. Consist. Assess. & Superint.

Quod

677.
Q Uod ferimus vulgo rerum scrutami-
ne docto :

Haud procul à patrio stemmate poma
cadunt ;

Illud, Tu Sophiæ Cultor, Problemate do-
cto, &

Exemplo vivo verificare clues.

Sic perge in Studiis ; Sic & sectare Paren-
tis

Virtutes: meritò digna Brabea feres!

Clarissimo Domino M. Andrea Rittero, Inquilino
Charissimo, inter ἀληθεῖαν μάλλον, ἢ δοξασοφί-
αν σπαράζοντες conspicuo l. mque applaudebat

Lic. JOHANNES Dornfeld/

Archi-Diaconus Nicolaitanus.

CERNITE RITTERIA Juvenem de gente renasci,
Splendidaque in Patrios Nomina ferre lares.

RITTERUS cecidit: Surgit RITTERUS, & olim

Hoc erit iste choro, quod fuit ille foro.

Ita de honore novo ac studiorum Specimine Tibi, Clarissime Dn.
Magister, Fautor ac Amice conjunctissime, mente manu-
que acclamat Tuus

JOH. FLEEG, Lubec, S.S, Theol. C.

❁ (o) ❁





Leipzig, Diss., 1700/01

VD18

ULB Halle

3

003 242 528




87

VD17







EXERCITATIO MORALIS
DE
JURAMENTIS,

quæ falso habentur non
obligantia,

INDULTU TER MAXIMI NUMINIS,

CONSENSU

Inclytæ Facultatis Philosophicæ

in Alma Lipsiensi

d. XXVI. Februar. M DCCI.

placidæ Eruditorum disquisitioni

tradit

M. ANDREAS Ritter / Lubecenf.

S.S. Theol. Studiosus,

RESPONDENTE

JOANNE TOBIA Hayner /

Cross Ciz. Phil. Stud.

LIPSIAE,

Literis IMMANUELIS TITIL.

20.

22.

24

1701,6

32.

